



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvscvla Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis

Marca, Pierre de

Parisiis, 1681

II. De advocacione Comitum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14704

possessio. Itaque nunc de

Heic substitit auctor.

II.

De advocacione Comitum.

QVI de seculari advocacione tractant, ejus originem repetunt à Concilio Africano. In quo sanè viros graves hallucinatos fuisse suspicor, & in eum errorem impegisse ductos verbis lemmatis quod Dionysius exiguus canoni LXXV. præfixit *De defensoribus Ecclesiarum ab Imperatore poscendis*. Tamen si canonis verba expendantur, & ejus consuetudinis ratio habeatur quæ tum in Ecclesia vigeat, facilè sententiam veram patrum assequemur. Episcopi intercessionem suam erga Principes iis præstabant qui potentum vi oppressi, de injuriis suis apud Ecclesiam conquerebantur & ejus auxilium flagitabant, ut docet canon octavus Concilii Sardicensis: *Honestum est autem ut Episcopi intercessionem his præstent qui iniqua vi opprimuntur, aut si vidua affligatur, aut pupillus expolietur; si tamen isthæc nomina justam habeant causam aut petitionem*. Sed quia molestum erat tam frequentibus querelis Imperatoribus negotium faceffere, & ut

adeundi comitatus præcluderetur occasio
 Episcopis Afris, quibus solenne erat ob
 leves causas in comitatum proficisci, ut
 docet canon octavus Sardicensis, illud
 consilium inierunt patres ut ab Impera-
 tore defensionem pauperum alicui sedu-
 lo & industrio demandari poscerent, qui
 delegata jurisdictione oppressos tueretur.
 Verba canonis sunt hæc: *Ab Imperatori-
 bus universis visum est postulandum, propter
 afflictionem pauperum, quorum molestiis sine
 intermissione fatigatur Ecclesia, ut defensores
 eis adversus potentias divitum cum Episcopo-
 rum provisione delegentur.* Itaque defen-
 sores isti, quos constitui poscebat Conci-
 lium, non poterant dici Ecclesiarum de-
 fensores, sed pauperum. Tamen mirari
 subit cur Episcopi de his defensoribus pe-
 tendis essent adeo solliciti, cum paupe-
 riorum & tenuium injuriis jam prospectum
 & cautum esset legibus publicis, quæ uni-
 cuique civitati defensores suos, qui ple-
 bis parentes dicerentur, jam dederant;
 quorum munus in eo præcipuè versaba-
 tur ut plebem & decuriones ab omni im-
 proborum insolentia & temeritate tue-
 rentur, parentis vicem plebi exhiberent,
 descriptionibus rusticos & urbanos non
 paterentur affligi, officialium insolentiæ
 & judicum procacitati salva reverentia

pudoris occurrerent, & similia id gentis
 peragerent quæ constitutionibus huic ma-
 gistratui concedebantur *L. 4. §. & passim*
Cod. De defensoribus civitatum. Itaque eò
 feror ut mihi persuadeam non in eam
 præcipuè curam incubuisse Concilium
 Africanum ut pauperibus defensores de-
 legandos procuraret, qui jam erant con-
 stituti, sed ut in delegandis defensori-
 bus Episcoporum suffragia suum locum
 obtinerent, eo scilicet colore quòd Epif-
 copis pauperum sublevatio esset velut
 ex officio concedita. Hæc est canonis
 sententia, si rectè verba ista perpen-
 dantur: *ut defensores eis adversus poten-
 tias divitum cum Episcoporum provisione de-
 legentur.* Sanè ratio habita est hujus
 adeo justæ petitionis, non quidem sta-
 tim atque Principibus porrecta fuit,
 sed post aliquot annos; ut patebit liqui-
 dò, si quis calculum ineat & componat
 annum cccxcviii. (quo est habita sy-
 nodus illa Carthaginensis in qua de istis
 defensoribus est constitutum) & annum
 ccccix. legis ab Honorio editæ qua ad
 Afrorum postulata videtur omnino res-
 cribere. Iubet enim defensores civitatum
 Episcoporum ac clericorum æquè ac ho-
 noratorum & possessorum decreto con-
 stitui & sedis prætorianæ auctoritate fir-
 mari;

miari ; ita ut si quid à qualibet persona contra disciplinam publicam in læsionem possessorum fieri cognoverint defensores, referendi habeant potestatem ad Præfectos prætorio , magistros militum , magistros officiorum, & Comites sacrarum largitionum. *L. 8. Cod. De defensorib. civitatum.* Iustinianus non solùm oblitteratam & detritam defensorum dignitatem restituit, sed etiam auxit Novella xv. qua inter cetera cavet ut ex honestioribus civibus eligantur, sed decreto Episcopi, clerici, & honoratorum, ut patet ex epilogo Novellæ. Quamvis autem nullum apud me dubium supersit quin sententia Afro- rum eò præcipuè tendat ut defensorum delegationi intersint Episcopi, tamen inficias non eo quin Zonaras eò mentem canonis trahat quasi scilicet Episcopi coë- cendorum potentium unà cum defensoribus auctoritatem sibi demandari pete- rent. αἰτοῦσιν οἱ τῆ συνόδου ταύτης ἐν βασι- λείᾳ, δοθῆναι ἑνὰς ἐκδικούς, ὥστε μὴ τῶ ἐπισκό- πων ἀνατέλλειν τὰς τῶ πλουσίων τυραννίδας, in- quit Zonaras canone LXXXI. Græcæ collectionis. id est. *Postulant ab Imperatore hujus synodi patres ut defensores aliqui consti- tuantur qui simul cum Episcopis potentiorum tyrannidem reprinant.* etsi nullum subsidium interpretationi Zonaræ conferre possit

collectionis Græcæ textus , quin potius liquidò ostendat quæsitam tantum suffragii episcopalis in constituendo defensore necessitatem : ὡςτε ἐκδικῆσαι τοῦτοις μὲν τῶν ἐπισκόπων προνοίας ἐπιλεγῆναι καὶ τῶν πλουσίων τυραννίδος. Hoc perspectum fuit Balsamoni , qui canonem sincerè sic enarrat ut verba ista cum *Episcoporum provisione* ita reddat , cum *Episcoporum electione*. Ἀνάγκη πᾶσα ἐπίκειται τοῖς ἐπισκόποις ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀδικουμένων. ἐπεὶ ἦ πινες , ὡς εἴοικεν , ἐπίσκοποι λέγοντες ὑπὸ πτωχῶν καὶ καταπεπονημένων οὐκ εἰσηκούοντο, τετυπῶχασιν οἱ πατέρες ὑπομνηθῆναι οὗτοι βασιλεῖς ὡςτε δοθῆναι διὰ τοῦτοις μὲν τῶν ἐπισκόπων ἐπιλογῆς ἐκδικῆσαι χάριν τῶν ἀναστέλλεσθαι τῶν πλουσίων τυραννίδος, καὶ οὕτω παυθῆναι τῶν ἐπινοουμένων ἀπολαύσεων ὁχλοῦσιν τῶν ἐκκλησιῶν ἐκ τῶν προσηγορευμένων αὐταῖς διὰ τὸ ἀδικεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀδυναστεύοντων. id est. *Necessse habent omnino Episcopi eos qui injuria afficiuntur defendere. Quia autem nonnulli, ut est verisimile, Episcopi, cum de pauperibus & afflictis dicerent, non exaudiebantur, statuerunt patres ut Imperatores admonerentur, ut cum Episcoporum electione ab eis darentur defensores pro reprimenda divitum tyrannide; ut sic cesset assidua Ecclesiarum perturbatio, quæ ab eis afficiuntur qui ad eas accedunt quod à potentioribus injuria affecti sint. Rectè autem sibi persuasit Balsamon D * * **

* Hic habet auctori calamus.

Illustrissimus Cardinalis Baronius putat eosdem esse defensores istos cum iis quorum frequens mentio apud Gregorium M. in regesto, qui negotia quamplurima defensoribus Ecclesiae Romanae mandat. Sed pace tanti viri dixerim, alii sunt defensores à clero petiti à defensoribus Principis auctoritate constituendis è cœtu civium. De his loquitur Africanum Concilium, vt vidit etiam Theodorus Balsamo. De alteris statuit Concilium Chalcedonense, cui accepto ferenda est prima defensorum Ecclesiae cognitio; quorum mentionem facit canon xxiiii. eisque vagantium Constantinopoli clericorum ab urbe expulsionem commendat. His ab Episcopo ex cleri gremio selectis tuendarum viduarum, orphanorum, & imbecillium hominum, qui ecclesiastico indigerent auxilio, cura committebatur; Qua in parte Episcoporum vices subibant, & studio suo, sedulitate, & gratia erga potentes aut ipsos iudices iuvabant eos qui ad Ecclesiae patrocinium se conferrent. Id apertè docet canon secundus Concilii Chalcedonensis, quo cavetur ne clerici se immisceant secularibus negotiis, nisi fortè orphanorum & viduarum earumque quæ sine provisione sunt personarum, quæ maxime ecclesiastico indigent adiutorio;

propter timorem Domini causa deposcat. ἢ
 ὀρφανῶν καὶ χηρῶν ἀπερογήτων, καὶ τῶν περὶ πάντων
 τῶν μάλιστα τῆς ἐκκλησιαστικῆς δεομένων βοηθείας,
 διὰ τὸν φόβον τοῦ Θεοῦ. Porro eos qui suppe-
 titiis Ecclesiæ foveri debent, Zonaras rectè
 interpretatur esse eos qui, ut injurias &
 vim potentium propulserint, ad Ecclesiam
 confugiunt, aut certè ut criminis perpe-
 trati veniam adipiscantur, sacrorum lo-
 corum asylo se committunt, vel in liber-
 tatem proclant. οἳ οἱ εἰσιν οἱ τῆς ἁγίας ἐκκλη-
 σίας περὶ πάντων, δεδιότες δυνάτας ὑφ' αὐ-
 τῶν ἀδικουῦντες, ἢ πλάσαντες ἴσως, καὶ τῆς ἐκκλη-
 σίας ζητοῦντες ἐπικουρίας, καὶ οἱ ἀδίκως εἰς δου-
 λείαν ἐλκόμενοι, καὶ ἄλλοι ποιοῦντες, δι' οὓς ἐκ-
 δικαί γίνονται. Zonaras in can. III. Chalcedon.

III.

Explicatio canonis XVII. Ancyran.

Τοὺς ἀλογευσάμενους καὶ λεπερῶς ὄντας,
 ἢ τοὺς λεπερώσαντας, τοῦτοις προσέταξε
 ἡ ἁγία σύνοδος εἰς τὸν χειμαζομένους ἄχρηστον.

Versio antiqua quæ extat apud Isidorum,

*Hos eosdem sanè, non solùm leprosos crimine
 hujuscemodi factos, sed & alios isto morbo suo
 replentes, placuit inter eos orare qui tempestate
 jaçantur, qui à nobis encrugameni intelliguntur.*